

templatio Dei per suos effectus, quod tamen non potest totaliter satiari intellectum, ut ostendit D. Thomas III contra gent. c. XXXIX. Igitur naturaliter appetit quidem homo rationem beatitudinis, sed non prout in aliquo uno ente reperitur determinate, et in particulari, et hoc potius est signum perfectioris et amplioris naturæ. Quæ est expressa sententia D. Thomæ quæst. XXII de veritate, ar. VII, ubi ponit differentiam inter intellectum humanum, et alias res creatas, quod istis inest appetitus naturalis alicujus rei naturalis, sicut gravi esse deorsum, homini vero inest appetitus naturalis ultimi finis in communi, ut scilicet appetat se esse completum in bonitate, sed in quo ista completio consistat non est determinatum a natura. Videatur etiam loco citato contra gentiles. Itaque sicut materia prima non habet pro fine aliquam formam determinatam, sed collectionem omnium formarum, ad quas est in potentia, si tamen daretur aliqua forma, quæ in ratione informandi contineret omnium formarum perfectionem, ab illa satiaretur materia, ita intellectus noster habet pro fine naturali omnium intelligibilium sibi conaturalium collectionem. Unde non potest satiari per aliquod intelligibile determinatum, nisi contineat omnium intelligibilium perfectionem, quod solum invenitur in causa omnium universalissima, quæ non est composita ex causa, et effectu, sed est pura, et prima causa, ut optime prosequitur D. Thomas super cap. I Joan. lect. XI, et videri etiam potest III contra gent. cap. L, ratione IV.

DISPUTATIO XIII.

DE SPECIE IMPRESSA, ET EXPRESSA VISIONIS DIVINÆ.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicatur natura speciei, et de qua similitudine loquatur D. Thomas articulo secundo.

I. Tota fere disputatio præsens dependet tamquam ex unico principio ex notitia naturæ speciei intentionalis, de qua plura egimus in lib. de anima, quæ hic supponenda sunt ad intelligentiam rationum D. Thomæ in articulo secundo hujus quæstionis.

II. Breviter tamen quantum attinet ad præsens advertendum est plures ex recentioribus valde a nobis dissentire in explicanda natura speciei intelligibilis. Existimant enim speciem intelligibilem non esse similitudinem objecti, neque requiri tamquam aliquid supplens absentiam objecti, et vices gerens ipsius, atque ita non se tenere speciem ex parte objecti, sed pure ex parte potentiae tamquam determinatio virtutis ejus, quando indifferens est ad hoc ut determinetur erga tale objectum. Unde inferunt, quod si aliquis habitus omnino determinate se habeat erga aliquod objectum, sicut lumen gloriæ respectu essentiae divinæ, ille servit loco speciei. Nullo autem modo requiri speciem, ut faciat unionem intelligibilem objecti cum potentia, sed solum ut influat effective simul cum potentia in ipsum actum determinando illam erga tale objectum. Itaque speciem non ponunt propter aliquid supplendum ex parte objecti, sed ad tollendam indeterminationem ex parte

potentiæ ad tale objectum a qua cumque causa id fiat. Ita ex mente p. Vazquez et aliorum auctorum docet p. Alarcon, tr. I de visione Dei, disp. III, c. II et III.

III. Hinc etiam factum est, ut quia D. Thomas in articulo secundo hujus quæstionis probat non posse dari similitudinem Dei creatam ex parte objecti, præfati auctores præsertim Vazquez postea citandus, et Alarcon ubi supra cap. III, num. V, et alii quos citat, intelligant D. Thomam solum negare in visione beata esse impossibilem similitudinem, quæ sit medium cognitum, et tamquam rem prius attackam, quæ repræsentet divinam essentiam in se, non tamen loqui de similitudine, quæ est ratio cognoscendi, et medium non prius cognitum, sed potentiam informans, et ex parte ejus se tenens. Est enim triplex similitudo in potentia cognoscitiva respectu objecti, ut distinguit D. Thomas in IV, dist. XLIX, q. II, art. I ad XV, et quodlib. VII, art. I. Prima est ex parte potentiae, et sic similitudo non est aliud, quam virtus, seu proportio, et efficacia potentiae ad eliciendum cognitionem circa tale, vel tale objectum. Secunda est ex parte ipsius objecti, impressa tamen potentiae, et non est aliud quam repræsentatio, seu species, qua objectum redditur intelligibile, et unitum potentiae, ut ex ipso, et potentia pariatur notitia. Tertia similitudo est ex parte medii, quæ non est aliud quam res aliqua prius cognita, in qua, vel ex qua devenitur ad aliam, sicut in speculo, vel imagine prius cognita attingitur res repræsentata. Et licet verbum, seu species expressa etiam habet rationem imaginis, tamen non habet rationem medii prius cogniti, seu medii objectivi, sed formalis, eo quod informat intellectum ex parte termini cogniti et informando repræsentat. Unde com-

putatur a D. Thoma cum secundo medio tamquam medium cognoscendi quo, ut loquitur quæstione IV de veritate, art. II ad III, etsi est medium in quo, intelligitur quod sit medium internum, distinguitur tamen a specie impressa, quia hæc est principium intelligendi, verbum autem est terminus, seu ex parte termini intra intellectum quodlib. V, art. IX, et q. IX de potent. art. V, et in aliis multis locis. Dicunt ergo illi auctores D. Thomam solum negasse hoc tertium medium in visione beata, non secundum, neque amplius ejus rationes probare, multo minus negavit primum medium, seu similitudinem ex parte potentiae cum expresse illam confiteatur in præsentis articulo secundo.

IV. Nihilominus ad explicandam mentem D. Thomæ dicendum est primo, species intentionales requiri tamquam repræsentationes, ex parte objecti ad uniendum ipsum objectum potentiae in esse intentionali, et immateriali, nec se habere ut determinationem potentiae cognoscitivæ quomodocumque, sed ut determinationem objectivam, et loco objecti actuantem, et informantem potentiam in esse repræsentativo objecti. Itaque non negamus species se tenere ex parte potentiae subjective, quatenus actuant, et informant, sed dicimus, quod repræsentative se tenent ex parte objecti, quatenus gerunt ejus vices, ut objectum mediante specie possit informare, et actuare potentiam. Neque ista informatio est solum determinatio potentiae per modum virtutis, sed est determinatio potentiae per modum objecti specificantis, duplex enim determinatio potest intelligi in potentia cognoscitiva in ordine ad eliciendum cognitionem. Prima ex parte ipsius virtutis quatenus virtus activa est, et elicitive cognitionis per modum virtutis, et sic quan-

do virtus est indifferens, vel debilitata, et imperfecta indiget determinari, vel confortari per aliquam majorem virtutem, quæ illam determinet, et perficiat. Alia determinatio est ex parte objecti, quia quantumcumque virtus potentiæ fit perfecta in sua activitate, et determinata erga objectum suum, v. g. virtus oculi licet sit valde acuta, et quantumcumque subjectum desideret, vel attendat ad cognoscendum aliquid, tamen si objectum desit, ita quod non habeat speciem sui in visu, nullo modo cognoscet. Hæc ergo determinatio, quæ ultra totam activitatem, et determinationem virtutis requiritur ad cognoscendum objectum, dicitur a nobis determinatio objectiva, quia representando objectum unit illud potentiæ, et determinat illam determinatione specificativa, et intentionali.

V. Dari ergo hanc representationem, et similitudinem in specie, quæ gerat vices objecti, et non solum determinet potentiam ex parte virtutis, probatur primo ex D. Thoma qui perpetuo explicat hanc similitudinem speciei per representationem illius, qua gerit vices objecti non per determinationem potentiæ ex parte virtutis. Dicit enim III contra gent. cap. XLIX: « Quod similitudo intelligibilis per quam intelligitur aliquid secundam suam substantiam oportet, quod sit ejusdem speciei, vel magis speciei ejus, sicut forma domus, quæ est in mente artificis est ejusdem speciei cum forma domus, quæ est in materia, vel potius speciei ejus. » Ergo secundum D. Thomam similitudo speciei intelligibilis ex parte objecti se tenet, tamquam vicaria illius, et non ex parte virtutis potentiæ, quia ponitur tamquam ejusdem speciei, vel potius, ut species ipsa objecti, quod utique non pertineret ad ipsam speciem, si solum se haberet

ut determinatio potentiæ per modum virtutis: hæc enim non est ejusdem speciei, nec species ipsa objecti. Deinde, quia D. Thomas docet ex eo verbum, seu speciem expressam esse similitudinem rei exterioris, quia oritur tamquam a principio a specie intelligibili, quæ est similitudo objecti exterioris, ergo oportet quod ista species sit vicaria objecti, ut representet illud, si quidem verbum ut procedens ab illo est imago ejus. Antecedens est Div. Thomæ I contra gent. cap. LV, ubi inquit: « Quod terminus intelligibilis operationis est aliud a specie intelligibili, quæ facit intellectum in actu, quam oportet considerari, ut intelligibilis operationis principium, licet utrumque sit rei intellectæ similitudo, per hoc enim quod species intelligibilis, quæ est forma intellectus, et intelligendi principium est similitudo rei exterioris sequitur, quod intellectus intentionem formet illi rei similem. » Ecce quomodo D. Thomas ponit, speciem impressam esse similitudinem objecti, et consequenter esse vicariam ejus, et quia illa similitudo representat objectum, et similiter quod species expressa est similitudo objecti, quia habet pro principio speciem impressam, quæ est similitudo ipsius objecti. Consequentia vero patet, quia si species expressa, est similitudo objecti, quia procedit ab impressa, et sic est imago objecti in ea representati, ergo oportet, quod species impressa sit vicaria objecti, si quidem ex vi processionis ab illa species expressa est similitudo, et imago objecti.

VI. Præterea D. Thomas expresse affirmat, quod lumen gloriæ, quod utique confortat, et determinat intellectum ad videndum Deum disponit ipsum ad recipiendum essentiam divinam per modum formæ intelligibilis, ut manifeste docet in præsentia quæstione, art. v et III con-

tra gent. cap. LIII et in IV, dist. XLIX, q. III, art. VI. Ergo præter determinationem intellectus, quæ fit per habitum luminis seu virtutem, aliam determinationem agnoscit D. Thomas ex parte objecti, seu formæ intelligibilis, quia ponit ipsum lumen tamquam dispositionem, ut uniatur ei divina essentia in ratione formæ, determinatio ex parte ipsius potentiæ se tenens quantum ad virtutem ejus, sed etiam ex parte objecti uniendo ipsum intelligibiliter potentiæ.

VII. Denique D. Thomas probat speciem intelligibilem requiri, ut potentia intellectiva immaterialiter recipiat ipsum objectum, et fiat aliud a se non solum recipiendo formam propriam, sed etiam formam rei alterius, id est, perfectionem, quæ est in altero trahendo ad se representative, et intentionaliter, ex hoc enim probat cognoscencia requirere immaterialitatem, et elevari supra non cognoscencia ex eo, quod recipiant formam rei alterius, et non solum formam propriam per hoc quod species cogniti est in cognoscente, ut patet infra quæstione XIV, art. I et q. II de verit. art. II; ergo necessario supponit speciem se habere ut vicariam objecti trahendo ipsum intentionaliter ad potentiam, et non solum teneri ex parte potentiæ tamquam determinationem virtutis erga objectum. Patet hæc consequentia, quia per hoc quod virtus determinetur in ratione virtutis elicitive, et activæ in ipsa potentia, nondum intelligitur illa unio potentiæ erga objectum modo illo immateriali, quo perfectio ipsa existens in objecto trahatur ad potentiam, quod non nisi per representationem gerentem vices objecti intelligi potest.

VIII. Dices: Non negari ab auctoribus oppositis, quod species debet representare, et constituere poten-

tiam similem objecto in actu primo, sed negari quod sit vicaria objecti, quia non est necesse quod procedat physice, et motive ab ipso objecto, et sic non est vicaria illius, ut patet in speciebus angelicis, et infusis in Christo Domino, quæ non procedunt ab ipsis objectis effective, et motive. Ea autem quæ gerunt vices alterius, ideo id habent, quia procedunt ab illis sicut semen decidetur a generate, et ideo vices illius gerit. Sed contra est, quia licet species physice, et effective non semper procedant a suis objectis, ad hoc tamen fiunt, et producuntur efficienter a suis agentibus, seu infundentibus illas, ut representent objecta, et ipsi potentiæ cognoscenti representative illa uniant, ergo licet effective, et entitative non procedant ab objectis, sunt tamen vicariæ ipsius objecti, quia accipiunt vim representandi illa, et in hoc consistit earum natura. Ut autem aliquid vices gerat alterius per accidens se habet, quod entitas ejus effective dimanet ab illo, vel ab alio, dummodo tota ejus natura in hoc sit posita, ut illud representet, et vices ejus exequatur, representatio enim magis pertinet ad genus causæ formalis, quam efficientis, quia representatio fit per quamdam convenientiam, et similitudinem, qua unum est sicut aliud, et ideo representat illud, seu vices ejus gerit. Constat autem quod species impressa hoc modo se habet erga objectum, etiamsi ab alio agens infundatur, tum quia est similitudo illius, et per representationem facit illud præsens, et conjunctum potentiæ, non per processionem effectivam ab objecto, processio enim effectiva non est ratio representandi, si quidem est aliquid commune omni effectui, nec tamen omnes effectus representandi vices habent; tum quia species in ipsa potentia est principium pro-

ducendi similitudinem expressam, et imaginem ipsius objecti, ergo habet quiddam requiritur, ut vices gerat objecti per modum repræsentationis, et similitudinis, et deservientis ipsi, ut sit principium producendi suum simile in esse intentionali, et expresso, sive in ratione entitatis efficienter procedat ab objecto, sive non.

IX. Et ex dictis sumitur fundamentum. Quia natura speciei non debet sumi penes id quod entitativum habet respectu subjecti, sed penes id quod repræsentativum respectu objecti, nam munus præcipuum, et essenziale speciei est actuare potentiam loco objecti, eo quod ad eliciendam cognitionem requiritur concursus objecti, si quidem ut est commune proloquium theologorum, et philosophorum ex objecto, et potentia paritur notitia, non quia solum ad objectum terminetur, sed quia ab illo procedit, paritur enim ab illo. Ad hoc autem necesse est, quod aliquid loco objecti sit in potentia, sicut semen est loco generantis, ut pariatur fetus; objectum enim per se ipsum esse non potest, ut experientia ipsa videmus. Nec sufficit objectum manere extra, tum quia in intellectu, et memoria etiam datur cognitio respectu absentium, et consequenter non possunt moveri ab objecto ipso in se, sed ab aliquo, loco illius, et hoc vocamus speciem, quod loco ejus gerit vices in illius ratione concursus objectivi secundum quem objectum concurrat cum potentia. Tum etiam quia cognitio fit trahendo res ad se, et jungendo illas sibi, et quanto intimius penetrat res ipsas, easque sibi conjungit, tanto perfectior est: requiritur ergo quod aliquid loco objecti ipsum uniat potentiae cognoscitivæ, quia per entitatem suam non potest intrare in potentiam, et licet posset intrare et uniri entitati-

væ, hæc unio non deservit ad cognitionem, quia oportet quod fiat immateriali, et intentionali modo; ut latius explicamus infra disp. xvi, art. 1, ubi etiam explicabitur in quo consistat iste modus intentionalis, et immaterialis. Tum denique quia notitia, quæ paritur ab objecto, et potentia non potest diverso concursu, et seorsum ab unoquoque procedere, eo quod partus illæ notitiæ est vitalis, et intra potentiam et procedit ab illa secundum totam specificationem, quam habet: hanc autem habet ab objecto, sicut vitalitatem a potentia, ergo nisi objectum infundatur potentiae secundum ipsam rationem objectivam, non poterit partus ille notitiæ a potentia effundi; et sic cum objectum non possit per se ipsum entitative potentiae committeri, nec ista actuatio, et commixtio objecti cum potentia sit materialis et entitativa, sed immaterialis et intentionalis, necesse est ponere aliquid in potentia vice objecti, quod objectivum ejus concursum suppleat repræsentando, et uniendo ipsum potentiae immateriali modo, et intentionali. Id ergo cujus natura, et propria ratio est ad hoc instituta, ut hoc munus præstet, et concursum objecti suppleat, vocatur species, et sic magis consistit in ratione repræsentativa respectu objecti, quam in informatione inhærentiæ respectu subjecti, quod enim species sit accidens, vel substantia per accidens est respectu ordinis cognoscibilis, et intentionalis, aliquando enim invenitur species quæ sit accidens, ut illa quæ acquiritur in sensibus et intellectu, aliquando quod sit substantia, ut anima separata, et Angelus respectu proprii intellectus. Non ergo propria ratio specierum sumitur penes id quod entitativum est respectu subjecti, sed quod repræsentativum, respectu objecti.

X. Nec dici potest, quod sufficit de-

terminatio virtutis intellectivæ erga objectum sine hoc, quod aliquid ab objecto procedens sit ipsum repræsentans, et sic vices ejus gerens. Nam contra est, quia quantumcumque sit determinata virtus in ratione virtutis activæ, et ex parte potentiae se tenens, adhuc requiritur concursus ex parte objecti, quia illa notitia a tali determinata virtute procedens paritur ab objecto, et potentia quantumcumque alias determinata in ratione virtutis, ergo præter talem determinationem requiritur determinatio, et concursus ex parte objecti, et consequenter quod aliquid vice objecti actuet ipsam potentiam, et determinet objective, eo quod notitia quæ intra potentiam nascitur debet nasci specificata ab ipso objecto, et ab eo dependens, nec solum a virtute determinata erga tale objectum in ratione virtutis, quia semper distinctus est concursus virtutis in operando effective, et objecti in specificando.

XI. Et confirmatur, quia notitia, et verbum procedens per cognitionem est imago, et similitudo expressa non ipsius virtutis, et potentiae intellectivæ, ut virtus operativa est, nec ipsius speciei, ut accidens, et qualitas inhærens est, sed ipsius objecti, cujus similitudo est, ergo oportet quod species, quæ concurrat ad talem expressionem, et est principium talis imaginis principaliter, et essentialiter sit repræsentativa objecti, et vicaria illius, et non solum ex parte virtutis potentiae, ut operativa est se teneat. Consequentia est manifesta, quia imago debet procedere ab eo, cui assimilatur, neque enim sufficit similitudo unius ad alterum, ut imago illius sit, sed requiritur expressio, vel processio, seu origo ab illo, ut communiter docent theologi ex Augustini libris, lxxxiii quæstione, ut videri potest, 1 p. qu. xxxv, art. 1; ideo enim unum non est

imago alterius, licet sit omnino simile, quia non procedit ab illo, ergo si verbum mentis est simile objecto, et non virtuti intellectivæ ut virtus est, oportet quod procedat ab illo, et consequenter, quod species mediante qua assimilatur objecto repræsentet illud, et vices ejus gerat objective. Antecedens autem certum est, nam quod verbum, seu species expressa sit imago constat, tum in Verbo divino, qui dicitur *imago Dei invisibilis* ad Colos. 1, tum in nobis, qui repræsentationem istam experimur, quando formamus similes imagines præsertim in absentia objecti. Quod vero non sit imago virtutis intellectivæ, ut virtus est, neque speciei impressæ, ut qualitas est, sed objecti repræsentati, eodem modo constat, quia illius est imago, et similitudo quod repræsentat nobis, et in quod cognoscendum nos ducit, non autem nobis repræsentat ipsam potentiam intellectivam, aut virtutem ejus, seu lumen, neque ipsam speciem in ratione qualitatis. Ad hoc enim oportet uti notitia reflexa, ergo per directam notitiam solum repræsentatur objectum, ergo illius est similitudo et imago ipsa species expressa, ergo ab ipso objecto procedit, seu ab ipsa specie impressa, non ut accidens est, sed ut repræsentativa, et vices gerens objecti, ergo præcipuum, quod attendendum est in specie et ejus informatione, non est id quod bonitatis, et entitatis est, sed id quod repræsentativum, et vicarium objecti, nec solum actuare debet potentiam per inhæSIONem entitatis, sed per repræsentationem objecti, quia potentia non assimilatur ipsi entitati speciei, sed objecto repræsentato per illam, ergo ab ipso objecto intentionaliter, et repræsentative in specie contento informatur, et sic species est vicaria objecti. Neque ad hoc requiritur quod effective proce-